



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Œcumenica Cathedræ Apostolicæ Avthoritas**

**Reding, Augustin**

**[Ort nicht ermittelt], Anno M.DC.LXXXIX.**

§. V. Tertij articuli præsentis Corollarium finale.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38717**

Regia esse Regum, perinde est  
nomi, ut ad omnes Ecclesias, ut  
in titulo non fore ex parte, de  
mine porrigi.

287. In Senatu Bardegalensi primū, ac de-  
inde in Senatu Tolosano Senator fuit Gulliel-  
mus Benedictus, qui in Repetitione in cap. Ray-  
nutius. De Testamentis. verb. uxorem. Decis. 2.  
n. 78. scripsit his verbis: Quo iure in dictis Ec-  
clesijs Regalia subiectis, secundum aliquos dat li-  
centiam eligendi Pontificem, prius ei denuntiata  
mortis Prælati, iuxta plenè dicta per Panormita-  
num in Cap. 1. & Cap. Cùm terra. De elect. Et  
pendente vacatione Ecclesiæ facit Rex fructus suos,  
atque beneficia confert ad collationem Episcopi per-  
tinentia, tamen non curata: Sed in alijs Ecclesijs  
hoc ius Reges non habent, licet Pontificales sint, &  
sita in Regno.

288. Non est etiam verisimile, jura Regia  
fuisse vel ignorata, vel imminuta à Juris Pro-  
fessoribus in Academijs Franciæ. Præter Ru-  
zæum in Academia Bitturicensi, & Benedi-  
ctum in Academia Caturicensi, Franciscus Duarenus in  
Academia Bitturicensi Regius Professor de  
sacris Ecclesiæ ministris lib. 7. cap. ult. sic scri-  
bit: Quædam sunt in Gallia Cathedralis & Epis-  
copales Ecclesiæ, quibus Revere, Pastoreque de-  
stituitis, si que beneficia interim vacaverint, dum  
aliquis in demortui Pontificis locum susceptus fuerit,  
Rex nosse iure suo, sed certo quodam modo ea con-  
fert ac distribuit. . . . Idque ius Regaliæ vulgò ap-  
pellatum, singularia quædam præcepta habet: de  
quibus varijs in locis huius tractatus nostri disser-  
vamus Cap. Generali. De elect. in 6. Ius Regaliorum,  
quoniam vitur in quibusdam tantum Ecclesijs.

289. Antonius Fabricius Bleymanus in Acade-  
mia Valentinianna Professor lib. 1. in Theor.  
& Prax. Beneficiorum Ecclesiæ tit. 9. n. 38. & 39.  
ait: Quod verò attinet ad amplitudinem (Rega-  
liæ) ea ex circumstantijs verum, locorum, modo-  
rum, & temporum dependet. Rerum, inquam,  
quia non solum fructus naturales temporalium, pro  
quibus ab Ecclesiasticis recognoscitur Princeps,  
juri Regaliæ cedunt, verum etiam civiles. Imò &  
interdum provenientes ex spiritualibus, sive an-  
nexam habentibus spiritualitatem: hoc enim in deci-  
mis ostendit Choppinus in dicto lib. 2. de privileg.  
Rustic. par. 1. C. 11. art. 4. Videri etiam potest  
Ragueau in Academia Bitturicensi Iuris Pro-  
fessor in Indice Iurium Regiorum verbo. Droit de  
Regale.

290. Choppinus celeberrimus in Parlamento  
Parisiensi Advocatus non litem instruebat,  
sed librum componebat, dum lib. 2. de Doma-  
nio Franciæ n. 5. scripsit: Haud omnes tamen sa-  
cræ Dioceses sunt Regalibus obnoxie, sed eæ solæ,  
in quibus initio uti illo iure consueverint &c. Et  
num. 6. In alijs quibusdam Ecclesijs certo modo co-  
arctata sunt Regalia, hysque angustijs finibus, ut  
profanorum dumtaxat perceptiones reddituum com-  
plectantur, non etiam collationes sacrorum bene-  
ficiorum. Eandem doctrinam fusiùs tradit  
lib. 1. de sacra Politia tit. 7. Idem de alijs Cau-  
sidijs, Regaliam ad certas Ecclesias restrin-  
gentibus sentiendum.

291. Denique cùm hic tractemus de materia,

quæ vel omninò, vel saltem longè majori sui  
parte Ecclesiastica est, & de qua jam pridem  
tam solemne in Concilio Lugdunensi præju-  
diciū factum est: cur Pontificis, ejus Con-  
cilij Decretum hætenus observatum, novè  
violari prohibentis autoritas tam parvi erit  
momenti, ut non credamus, Regem Chri-  
stianissimum, eliquatà meliùs veritate, decla-  
rationem suam revocaturum, & ad Præde-  
cessorum suorum constitutiones conformaturum,  
eoque iustitiæ ac religionis actu suorum  
Officiariorum injustitiam correcturum, mo-  
dernosque Theologos, & Iuriconsultos Pa-  
tri Alexandro contentientes, tum ad sanam  
doctrinam redituros?

S. V.

Tertij articuli præsentis Corollarium  
finale.

Coronidis loco non importunum visum  
est, huic tertio articulo subtexere conclu-  
sionem, quàm Author *liberatum Ecclesiæ  
Gallicanæ in fine sui operis* generalem fecit  
conclusionem. Constans, sinq̄uit, Galliæ in fide  
Catholica jam à tot sæculis perseverantia, &  
magna etiamnum illic vigens pietas certam  
spem asserunt, Christianissimum illud Reg-  
num ulque ad confirmationem sæculi tam ar-  
ctè Petræ, super quam fundata est Ecclesia,  
inhæsurum, ut nullis unquam Sathana machi-  
nis ab ea dimovendum sit. Nobilissimæ  
illius Monarchiæ gloriam, firmitatem, ac fe-  
licitatem, Principum ad Ecclesiam defenden-  
dam zelo, subditorum pro Catholica religio-  
ne studio, utrorumque erga Ecclesiasticum  
ordinem, præsertim verò erga sanctam Sedem  
reverentiæ, atque obedientiæ adscripserunt  
& ipsimet Galli, & Summi Pontifices. Quo-  
niam autem res omnes per eandem causas ple-  
rumque conservantur, ex quibus ortæ sunt:  
expetenda est religionis, ac Principatûs  
Gallicani perpetuitas ab antiquo pietatis affe-  
ctu, indivulsæque cum Petri Sede conjun-  
ctione; siquidem, ut ait Carolus Fevretus  
lib. 1. c. 3. n. 4. relatis Ecclesiæ Gallicanæ  
laudibus: Comparavit illa sibi hanc grandem dig-  
nitatem mediante indissolubili uniono cum S. Sede  
Apostolica, à qua nunquam se separavit; nam Ec-  
clesia Romana præcipuus erat spiritus, qui anima-  
bat omnes suas facultates & potentias: Centrum  
erat, in quo ad unitatem revocabat illa omnes cir-  
cumferentiarum lineas: Sol erat, à quo mutuabat  
omnes suas claritates Divinas, ac splendidissimos  
suarum gloriarum radios: verbo: primum mobile  
erat, à quo suos traherebat illa motus.

Neque spem illam eripere valent, quæ  
interdum, maximè autem temporibus poste-  
rioribus intercesserunt diffidia. Ea enim est  
mortalium omnium conditio, ut neque qui  
perfectiōnis Christianæ fastigium assecuti vi-  
dentur, imperturbabili pace perenniter  
gaudeant, quamdiu in hoc mundo versan-  
tur. Propria civium Hierusalem cælestis  
est illa felicitas. Sed quemadmodum arbo-  
res à ventis exagitata radices altius defigunt;

Disquis. XVI.  
Regia esse Regum, perinde est  
nomi, ut ad omnes Ecclesias, ut  
in titulo non fore ex parte, de  
mine porrigi.  
Verum Autor præfatus huius  
antiquos esse illos Auctores, et  
quædam proprii comendi  
Petraricus namque prima  
conatus, ut necesse fuisset  
tum proximè elapsi sæculi Regiam  
Ecclesiæ invehere. Cuius  
sacris Auctoritatibus, vel  
sacris & Theologis, quæ  
Pascuensis testatur Aule  
allemus, quæ  
sij, confusione  
Regum Christianissimorum  
Regalibus utitur, quæ  
ti, cùm Regis obsequium  
da jura Regis erant  
Imprius Palæstra  
tum parvus in  
Advocatus Regis  
atque adei  
circa Regiam  
turi ad propriam  
modum pertinere  
illus Cantuar  
rum vacatum,  
que apud illu  
atque ad ius  
juramentum  
ta, quorum  
tant, plurimū  
Curi Officiari  
se ad omnes  
Advocatus ille  
præferens opinio  
Regalium in  
proniam declar  
quædam  
Ea sem jura  
horare potest  
Pascuensi, in  
merentes ex  
ur, primū  
deinde Proto  
Constituerunt  
os, Galli Prag  
ceditur, Aucto  
sira.

ita inter electos dissensiones strictiori concordia non raro viam sternunt.

294. Fatendum est, in Gallia fuisse à quibusdam tentata nonnulla, quæ si longius, ac latius progressa fuissent, non solum Communionis Ecclesiasticæ, sed & fidei iacturam tandem invexissent. Nam præter libellum Richerij de Ecclesiast. & Polit. potestate, à duobus Concilijs Provincialibus damnatum, tanquam multas continentem propositiones, expositiones & allegationes falsas, erroneas, scandalosas, schismaticas, & ut sonant, hæreticas: præter eorum fortè opera, quos Richerium in suas partes traxisse cum vehemènti suspitione schismatis, narrat Henricus Spondanus ad annum 1612. num. 3. Præter duo volumina de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ à pluribus Episcopis die 14. Februarij anno 1639. hæc censurâ notata: *Volumen utrumque serè per omnia comitata noxium, hæreticum passim, schismaticum, impium, verbo Dei frequenter contrarium, Hierarchiæ Ecclesiasticæ, & disciplina Sacramentorum, & sacrorum rituum destrudivum, sanctæ Sedis Apostolicæ, gloriosissimo Regi nostro, Sacerdotibus Dei, & Ecclesiastico Ordini, ipsique aded Ecclesiæ Gallicanæ injuriosum, ac periculosissimum, scandalo plenum, à nobis publico consensu judicatum vobis significamus.* Præter illa, inquam, sparsa sunt identidem alia schismatis & hæresis semina, quale illud erat, cujus confutationem ante aliquot annos vidimus cum hoc titulo: *Memoriale quo in compendio Regi exhibebatur, quod schismatica illa, & hæretica Maxima, quam in hoc processu stabilendam, præteritum fuit (quæ fuit pronuntiata in Parlamento Parisijs 12. Decembris proximi anno 1664. scilicet, quod Principes seculares jus habeant, ac potestatem, ad judicandum, ac decidendum de fidei dogmatibus, ac Ecclesiastica disciplina) non est fundata, nisi in defectibus probationibus, quæ omnes vel abate contra veritatem, vel cum sophismate retoræ, vel artificio ita deducæ, vel contra rumbum propositæ, vel ab Hæreticorum exemplis, vel à personis in fide suspectis.*

295. Contra disciplinam autem, & jurisdictionem Ecclesiasticam quot continentur dogmata in laicorum præsertim tribunalia secularia frequentantur libris v. g. in tractatu Caroli Fevreti, in supra dictis voluminibus de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, & alijs. Quodque maximè dolendum est, immanes illi errores & injuriæ, ipsaque demum Ecclesiæ servitus specioso libertatum Ecclesiæ Gallicanæ titulo insigniuntur. Non possum non tristitiâ affici, cum inter legendos, Laicorum propria commoda in imminuenda Ecclesiastica potestate sectantium, libros similia occurrunt: sed longè gravius fero, quod, qui Clero adscripti sunt, ac privilegijs Clericalibus gaudere volunt, Ecclesiæ dignitatem, & auctoritatem deprimere studeant, etiam dum ejus beneficia sibi asserere contendunt.

296. Utinam Clerus Gallicanus Majorum suorum vestigijs inhærens ad arcendos errores, & ad retinendam partem illam jurisdictionis, quæ nondum illis ablata est, curam & operam suam potius conferat, quam ad circum-

scribendam Capitis sui potestatem; ne forte, quod plerumque accidit, si ipse debita Petri suo reverentiæ desit, à filijs suis graviores patiatur contumelias. Quomodo enim Fideles juxta Divi Pauli præceptum obediant, & subjacebunt Episcopis, quos supremi Ecclesiæ Pastoris partim obedientiam detestare, partim metas ei brevissimas ponere viderint? Intereft famæ Augustissimi illius Cleri, ut, quod ab aliquibus ex ipso adversus Summum Pontificem pro illorum juribus contendentem gestum est, ab alijs, qui nec mandatum, nec consensum præstitierant, minimè ratum habeatur; sed ab omnibus potius oblivioni mandetur.

Maximi etiam interest gloriæ Regis Christianissimi, ne prædictorum Antistitum declarationi patrocinetur. Cum enim de constanti non solum retinentiæ, sed etiam propugnandæ fidei Catholicæ, atque Ecclesiæ proposito sibi certo conficius sit, ejusque illustria edat argumenta, cur eam voluntatem, aut voluntatis constantiam in suspitionem publicam vocet, significans, se doctrinam illam timere, quæ Reges, & Principes hæc, aut Ecclesiæ hostes, emendationis incapaces, per temporales pœnas ad officium suum recuci per Ecclesiam posse, tradit?

Sed possitne Princeps tantâ sapientiâ præditus non advertere, ex Cleri sui sententiâ plus periculi, si non sibi, nimirum potentissimo, saltem suis successoribus, quam Romanis Pontificibus imminere? Nemo enim Catholicus dubitat, potestatem B. Petri, ejusque Successorum à Christo Domino immediatè oriri, atque adeo, ut ait Nicolaus I. ep. & Privilegia ipsius Sedis, vel Ecclesiæ, perpetua sunt; Divinitus dicata, atque plantata sunt, impungi possunt, transferri non possunt, trahi possunt, erui non possunt. Si ergo Summum Pontificem à Christo constitutum omnium fidelium Pastorem & rectorem, ejusque Vicarium immediatum, deponi à Concilio Generali posse admittamus, multo facilius Regem à Comitibus Generalibus exauthorari posse, concedendum erit, cum non nisi mediatè à Deo principatum obtineat. Nam quantumcumque protestentur moderni, se in tuto positam censere Regiam Dignitatem, non defuerunt etiam Gallicani Scriptores, qui assererent, Monarchiam illius Regni Aristocratia temperatam; idque de facto patuisse, quando Regnum ad alienas familias translatum est, contemptis propinquoibus Regum defunctorum cognatis: nec ulla potest verisimilis ratio assignari, quæ Papæ validiùs, quam in Regis favorem non militet, si à quâ lance pendatur.

Ita sentierunt etiam Regum adversus Summos Pontifices defensores, v. g. Jacobus Almain in tract. de auctorit. Ecclesiæ cap. 1. tertium hoc corollarium statuit. *Tota Communitas potestatem habet super Principem ab ea constitutum, quæ eum, si non in edificationem, sed in destructionem polstia regat, deponere potest, & illâ potestate Communitas quondam usæ, Regem suum deposuit, non tam pro criminibus, quam*

300. pro eo, quod tanto regimini inutilis esset, &c. Omnium denique Fidelium paci, & quieti expedit, ne de supremi Pastoris sententia dubitare doceatur, ac tanquam parvuli fluctuantes circumferantur omni vento doctrinae, donec suborientes forte fidei quaestiones Generalis Concilij, quod vix post unum, aut alterum saeculum celebrandum sperent, irreformabili iudicio fuerint definitae, aut communi dispersonum per mundum universum Praelatorum, quorum suffragia rescire difficile, conciliare difficilissimum sit, consensu directum.

331. Et quicumque viderit, vel audierit, quod Rex & Episcopi Apostolicae Sedis Summum Pontificem obaudiunt, & honorant, & promptius & humiliter eis subiecti sui obediunt. Hincmarus episc.

ad Nicol. Papam, quae est 16. tom. 2. edit. Sirm.

De illis, qui, ut Summum Pontificem ab executione Canonis Lugdunensis Regaliam extendere prohibentis deterreant, odiosam, quam confutare conati sumus, doctrinam importune obijcient, opportunè dicit Innocentius XI. cum Paschali 2. episc. quae est ad Archiepiscopum Poloniae: Numquid haec nos commodi nostri professione requirimus, & non unitatis Catholicae statum firmamentum? Possunt Apostolicam Sedem contemnere, possunt adversum nos calcaneum elevare, datum à Deo privilegium evertere, vel auferre non possunt, quo Petro dictum est: Tu es Petrus, & super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam; Et: Tibi dabo claves Regni caelorum.

FINIS  
ARTICULI TERTII.



Tttt AR-